



Disputatio medica inauguralis de pleuritide

<https://hdl.handle.net/1874/343814>

D I S P U T A T I O M E D I C A
 IN G A U R A L I S,
 DE
PLEURITIDE,
 Q U A M
 A U S P I C E D E O O P T . M A X .
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
 Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, Nobilissimæque
 Facultatis MEDICÆ Decreto.*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite
 & legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

A N D R E A S R E Y N E N , Calcarensis,
Ad diem 21. Novembris, horis locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz
 Typographi, clc xcii.

D. GERARD Q REYNE N,
Amstelodami , Mercatori vigilantissi-
mo , fratri charissimo.

D. ANTONIO MORIAU,
Herniis curandis dexterissimo , affini.

D. JOANNI van der CLOCKEN,
Resæ Regis Galliæ hospitii olim chy-
rurgo peritissimo , avunculo venerando.

U T E T

Clarissimo Doctissimo

D. PETRO BERNAGIE,
Medicinæ Doctori , atque in illustri
Amstelodamensium athenæo Professo-
ri Ordinario , Nosocomii Medico ex-
pertissimo præceptorι plurimum colen-
do.

N E C N O N

D. THEODORO ACHTIENHOVEN,
Pastori fidelissimo.

Sese & basce Theses

Offert

A. REYNE N.

Auctor.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,
DE

PLEURITIDE.

PRÆFATIO.



Um æquum sit, ac ordo postulet, legibus Academæ satisfacere; in quibus requiritur, summos, qui in qua piam disciplina desiderat honores, antè inaugurelam, ut defendat disputationem; ego de Pleuritide agere constui; miserabilis est enim, & quotidiè occurrens, & plures interficiens, vel saltem miseras & calamitates (ut in sequentibus patebit) horrendas inducens, affectus.

THESES I.
πλευτίς



Rimum scribentis officium esse, instituti titulum inspicere (idque non solum in scribendo, sed etiam in docendo, & explicando) notavit Plinius l. i. epistol. vi. vide Hess. in annotat. de bon. valet. quâ admonitione, ego non solum titulum, sed & nomen rei, explicandum, ejusque originem inspicendum, eum docere, omnino mihi persuadeo. Hanc nos methodum sequentes dicimus, Pleuritidem esse verbum Græcum, quod practici, barbarò sæculo nati, Pleuresin & Pleuresiam vocarunt; Græci πλευτής & πλευτίδα appellant, sc. Λητός πλευρής, Sibius C. vi. part. iii. sect. iii. auth. Aetio, l. viii. C. LXVII. ait ὡμὴν ἐνθεούσιον πλευτίδας πλευτίδης.

A 2 Quod

4 A C I DISPUTATIO MEDICA D I S

Quod verbum, & costam, & membranam costas intrinsecus succingentem sonat, hinc facile potest colligi, quare homines, forsitan in initio indocti & plebei (cum de dolore lateris viderent aliquem conquerentem) dolorem eum Pleuriticum Græco nomine, latetatem vocarunt.

II. Præter hæc, adhuc varia nomina ei attribuuntur. Fuchc. l. II. c. viii. dolorem lateris dicit. Rembert. Dodonæ. C. xxviii. fol. 335. de Pleuritide telum lateris; eo, quod dolor locum affectum telli, seu gladii instar transverberat. Nostri populares Pleuris sive ferè Græco nomine, utuntur. Germani das seitens stechen, oder das brust geswar, auch das brust apostem. Quamvis duæ voces illæ, si respicias ad eas, propriè magis empyema significant.

III. Claram ergo patet ex his, nominis definitionem ritè haberi debere, ut scribentis titulum cognoscamus.

Hucusque de nomine, & synonymis; jam vero descriptionem, s. definitionem, partem affectam, signa, differentias & quæ præterea restant, contemplabimur.

IV. Verum cum non omnis dolor lateris, medicis hodiè Pleuritis dici solet, requiritur, ut præcisè determinetur qualis ille sit dolor, & cum quibus symptomatibus, qui Pleuriticus est dicendus. Nonnulla requisita, quæ adesse debent, antequam quis Pleuriticus dici possit, uno quasi fasciculò comprehendunt authores, & vocant ea, signa pathognomica; quæ si adsint, docent esse veram Pleuritudem, si vero absint, docent, non esse veram; sed potius spuriam, vel alio nomine appellandam. Ex his signis ergo, constituunt descriptionem, seu definitionem, dicendo; quod in Pleuritide adsit dolor lateralis pectorius, cum tussi, difficultate respirandi, Febri acutâ & continua, pulsu duro & serrato.

V. Unde vero dicta omnia orientur in sequenti, ubi de causis agemus, docebimus.

VI. Verum præter jam enumerata signa Pleuritidis pathognomica dicta, plurima alia, notatu maximè necessaria occurunt; & quidem sputum sanguineum, quod tamen abesse, & adesse potest, ac proinde inter pathognomica, non solet numerari.

VII. Quaritur jam pars affecta hujus morbi. Quo ad partem affectam, per sectionem, ex Pleuritide demortuorum distinctè deprehensam, quod in vera Pleuritide (ut plurimi testantur) sit Pleura, quæ est membrana intrinsecus thoracis cavitatem succingens, de cuius structura vide anatomicos. Sed

I N D I U M G U R A L I S.

5

VIII. Sed objiciat quis, multi dicuntur Pleuritici, in quibus tamen membrana Pleura non est affecta. Ad quod respondemus, nunquam esse Pleuritidem veram, sine Pleuræ affectione, sed non-nunquam dolores alibi existentes Pleuritici dicuntur, latiori significatione voce sumptā; sed tunc dici solet ad distinctionem; haec Pleuritis spuria; cum illa, vera dici solet.

IX. Cum dicta jam membrana totum pectus ambiat, facile concipitur, quod dolor ille possit deprehendi, nunc in anteriore, nunc in posteriore, nunc in sinistra, nunc indextra parte, vel etiam plurimis simul; hoc praxis docet, hoc ægri testantur.

X. Notandum, & in Pleuritide vera, tam dictam membranam, quam musculos intercostales, si non semper, saltem pleurumque esse affectos; Pleuræ enim adeo tenaciter adhæret, ut il-lacera separari non possit. In qua sententia Gal. I. v. de loc. affect. C. IIII. fuisse videtur; vid. Sibism C. IV. de Pleura.

XI. Sed hanc mox alia excipit questio, an scilicet membrana pulmonis hic non etiam afficiatur; cum multi sint, qui per ~~aut~~ post obitum, in cadavere se id vidisse testantur. Sed optimè alii respondent, quod tunc non fuerit Pleuritis. Sed peripneumonia, in qua pulmonum membranas affici, concedimus.

XII. Sed monitum thes. VIII. objici posse; multi dicuntur, Pleuritici, quibus tamen nec inflammatio Pleuræ, ac per consequens, nec dolor punctorius, & acutus sed gravatus; in quibus febris non acuta continua, sed potius lenta, ceteraque, quæ præterea addi possent. Ad quod respondemus, facile id concedi debere, ac proinde doctores, eam rem cum observassent, Pleuritidem distinxisse in veram, & spuriam ut thes. VIII. dictum. Quæ duæ species in multis, maximè in prognosi, & curatione differunt.

XIII. Ut vero studiosus non decipiatur falsa hac specie, & veram pro spuria, & spuriam pro vera habeat; tradunt nonnulla signa, quæ, quoniam differentiam harum specierum ostendunt, signa differentiarum, in schola medica dici solent.

XIV. Distinguitur vera ergo Pleuritis, à spuria; quod, 1. In-spuria, tactu, & pressu lateris, dolor excandescat, est molestus in latus ægrum decubitus, & in sanum facilis.

In vera neque lateris tactu, nec pressione, ita gravescit, multoque facilius laborans in ægrum latus decumbit.

A 3

2. In

6 . 3 I DISPUTATIO MEDICA I

2. In vera pulsus durus , tensus serratus , & inæqualis , febris continua & acuta , ac dolor summus , continuus pectorius , in uno eodemque loco permanet , cum tussi & difficultate spirandi.

Inspuria verò pulsus neque durus , neque serratus , neque inæqualis , neque ita frequens , imò à febri interdum est immunis , saltem ea solet esse exilis , & potius præcedit , quam subsequitur dolorem , atque dolor est vagus & magis mitis , respiratio non est ita difficilis , nec tussis ita urget.

3. In vera , sanguis detractus solet gelatinosam magis habere crūstam , quod vel centies vidi ;

In spuria non ita.

4. Differunt ratione causæ , vera fit ex sanguine copioso & calido dicto.

Spuria à phlegmate , flatibus , & aliis frigidis humoribus.

5. Vera sputum ex aspera arteria , per bronchias pulmonum attractum , excernit;

In spuria verò nihil ita excernitur.

XV. Nec tantum confundi posset cum spuria , sed & cum peripneumonia ; ab eâ verò distinguitur , quod

1. In peripneumonia spirandi difficultas sit Maxima , & longè Major quam in Pleuritide , imò tantâ angustiâ , ut suffocari videantur ; ut plenius legitur ubi Practici capite proprio de hoc morbo tractant , quod etiam notat River. l. vii. C. viii. de Peripneum. & ipse multoties vidi.

2. In Pleuritide non ita sentiunt calidam exspirationem , nec adē frigidiorē aërem desiderant.

3. Dolor in peripneumonia non ita lateralis , nec acutus , imò quandoque nullum sentiunt dolorem , nisi tussire incipient. Sed notandum , quod Pleuritis quandoque conjugatur cum peripneumonia , vel in eam transeat.

4. In peripneumonia laborantes magis rubent facie.

5. Pulsus in peripneumonia magis inæqualis , tam respectu celeritatis , quam aliorum modorum.

6. Lingua magis flava esse solet in peripneumonia , quam in Pleuritide.

7. Ratione partis affectæ verò differunt , quod in Pleuritide , sit membrana pleura , in peripneumonia membrana pulmonum affecta;

cta ; licet verò quandoque in iis qui Pleuritide periere , & pulmonum membranæ affectæ deprehensæ sunt , & in peripneumoniceis pleuræ , tunc sc. sunt simul & Pleuritis & peripneumonia , qui duo morbi saepe sunt congeneres . vid. Thes. VIII.

XVI. Verùm enim vero non solum pleuritis spuria , aut peripneumonia medicum deciperet , sed & *jecinoris inflammatio* : at verò accuratè attenus medicus , facile deprehendit differentiam ; videlicet inflammatione jecoris laboranti in dextro hypochondrio dolor , & gravitas & tumor est , præcipue si gibbosa pars affecta , hanc consequitur febris acuta , sed non adeò vehemens , tussis exigua , & sicca , in qua nihil excernitur , linguæ scabrities , cibi fastidium , quandoque vomitus , respirandi difficultas , sed mitior quam in Pleuritide , totiusque corporis color in icterum quasi mutatur . Hæc pleraque si observentur , differentiam quam Maximè indicant .

XVII. Si in ullo in hoc sane studio cum poëta exclamandum , *Felix , qui potuit rerum cognoscere causas* . Necesse ergo ostendere , quæ nam sint hujus Pleuritidis causæ .

XVIII. *Continentem* causam Medici vocant , quâ præsente ponitur morbus , & quâ sublata tollitur , de ea agere primò solent nonnulli .

In *vera* Pleuritide ea est humor , hærens in pleura ejus membranæ simul & muscularum intercostalium inflammationem efficiens .

In *spuria* verò , non ita in musculis intercostalibus & dicta membrana humor inflammationem excitat , sed potius dicti musculi solum à flatu distenduntur , aut ab alia causa afficiuntur .

XIX. Verum quæri hic posset , quid per vocem inflammationis intelligimus , ad quod respondebimus nobis idem est , quod omnibus Medicis , quod ab aliis rectè tumor ruber & calidus , vel ab aliis subsistens sanguinis dici solet .

XX. Restat ut dicamus quomodo hæc inflammatio excitetur , quæ illius causa *antecedens* Medicis dicta ; hæc est latens quædam in corpore dispositio , morbum antecedens , quæ nondum agit , sed agere potest . Videlicet sanguinis quantitas , & qualitas vitiata , *plethora* , vel *cacochymia* dicta .

XXI. Verum multi sunt plethorici & cacochymici , qui tamen non simul pleuritici , nisi quod aliud accedat , V. G. potus frigidus

dus, terror, illa ergo etiam causæ dicuntur sed non continens, non antecedens, sed *occasionalis* vel *procataractica*; estque illa, quæ latentes dictas in corpore causas excitat, & movet; & quidem adeò manifestè ad sensum corpus nostrum afficit, ut vulgus (si roges, quæ causa hujus morbi) respondent V. G. potus frigidus, & maximè illæ omnes, ad sex res non naturalis reduci possunt.

XXII. Supereft jam ut ostendamus

1. Quomodo à dictis causis antecedentibus, & procataracticis, excitetur Pleuræ inflammatio.

2. Quomodo ex inflammatione Pleuræ omnia dicta symptomata, sc. respirationis difficultas, tussis &c. in diagnosi enumerata, oriuntur.

XXIII. Nam ostendere, quomodò *plethora* & *cacochymia* generantur, non pertinet ad hunc locum, sed ad tractationem causarum morborum in genere; quâ de causâ antiqui semel in institutionibus v. g. in Sennert. institut. l. II. part. II. c. IIII. de causis morb. intern. agunt, ad quos lectores mittimus, ibi enim omnes causæ referuntur ad assumpta, gesta, excreta, retenta, & foris incidentia.

XXIV. Ut vero ex dicta sanguinis quantitate, vel qualitate vitiata, accedente causa occasionali, oriatur inflammatio Pleuræ, paucis ostendemus.

1. In dicta corporis constitutione, *aer* id potest efficere, *frigidity*, sc. sanguinem coagulando, quod efficit, ut in institutionibus docetur, dupli modo, vel per os attractus; vel corpus ambiens; longè autem facilius hoc agit, si sanguis, vel ex calore ignis, vel præcedentis aëris calore, vel exercitio, vel aliâ de causa fuerit agitatus, & fluidor sit; Hinc plurimi subito & imprudenter sudore defluentes, & aëri frigidiori sese exponentes, hōcce morbō corripiuntur; cuius exempla innumera in praxi ipse vidi; undē pater, quare in subitis aeris mutationibus, à calido ad frigidum, hic affectus sèpè adeò supervenire solet.

Nec minorem hic obtinet locum *calidus aer*, humores sc. lentos attenuando, & solvendo, & ad exilia maximè vasa, tunc etiam propellendo, ubi facile condensantur, sive membranas, & vasa distendentes vellicant, & acus instar pungunt; ille quoque bilem auget, & acuit, spiritusque inflamat, sive morbus, & humores calidos excitat.

XXV. Ex quibus facilè collgitur, quò modò cibi, & maximè potus actu frigidus, idem efficiat; v. g. si corpus ab exercitiis, aliisque de causis valdè incalescat ac sudore defluat, & potus actu frigidus ingurgitetur, coagulatio fluidi istius sanguinis excitatur; unde in sanguine motus naturalis turbatur, impeditur, atque ita sanguine de novo influente, vasa distenduntur, unde calor, & rubor, & dolor; quæ inflammationem vocamus.

XXVI. Sed rogat quis, quare hæc potius Pleuræ, quam aliarum membranarum inducant inflammationem? respondemus, quod hæc tenuissima, & omni carne, aut aliis tegumentis nuda, & imprimis aëri maximè exposita reperiatur; adde, quod Pleura sensu exquisito tactus polleat; quod aëris frigidus per asperam arteriam, potus per æsophagum intret; hanc ergo membranam facilius, quam cæteras affici, neminem mirari opinor, ubi ad hæc attendit.

XXVII. Jam testat ultimum, nempè, quomodo jam dicta omnia symptomata, dolor lateris punctoriis, cum tussi, & febre continua, respirandi difficultate & cæt. ex inflammatione membranæ Pleuræ oriantur.

1. *Dolor lateris punctoriis* oritur, ubi membrana nerva, & valde sensilis, distenditur, ab humore ejus vasis impacto; cum ergo moveatur thorax, dolorem oriri necesse est.

2. *Tussis siccâ* oritur ob acrimoniam humorum, & vellicationem dicitæ membranæ; *sanguinea* vero, ob vasorum lacerationem, ex quibus sanguis in pulmonum bronchia secernitur. Non ergo mirum tuſſim excitari; nititur enim semper natura, quidquid vel acrimonia, vel aliò modo molestum est, excutere.

3. *Febris acuta & continua* solet esse fidelis comes membranarum inflammationum; & maximè si ex sanguine, non tam pituitoso, sed bilioso siant.

4. In inflammatione illius membranæ, ejusque distensione, impossibile est, ut distendatur & contrahatur thorax, sine summo dolore, unde æger nec audet, nec potest liberè ducere spiritum; siveque oritur difficultas respiratio.

4. *Pulsus durus, & inæqualis*, similes febres & inflammations sequi solet.

XXVIII. Postquam symptomatum hujus affectus, & causas recensuimus, ordo postulat, ut eorum, hujusque affectus prognosin, cōdem, quo ea notavimus, ordine proponamus. Est enim *prognosis pra-*

præscientia artificialis futurarum rerum per signa medica, quantum possibile, comparata.

Ita enim prædictione obtinet medicus, ut ægrotantes sese ejus curæ confidentius committant; fururaque si prævideat, melius curat; atque prædicendo mortem futuram, omni sese crimine, aut calumniis liberare possit.

Sed difficile est medico prædicere posse continuò, ad quod Galenus Comment. tert. in prognosi. Hypp. text. 41. inquit, nunquam errare in prædicendo supra captum hominis, sed minimum errare artificis solius.

X XIX. In prognosi ad tria est attendum.

1. Quisnam morbi eventus, an ad salutem, an ad mortem.
2. Quo tempore finis futurus.
3. Quomodo eventus exspectandus.

XX X. Respectu hujus morbi essentiæ (hoc est, non ratione circumstantiarum, seu accidentium) semper in omnibus ægris, ab omnibus auctoribus, peracutus censetur hic morbus, & periculosus, magnus, & sepe lethalis.

Nolim tamen quis credat semper hunc affectum lethalem; sed sæpè etiam locum hic habet monitum; quod in acutis incerta sit prædictio.

XXXI. Verum plura medico in prognosi observanda restant, nempe, an sit acerbior, an mitior; non enim omnis Pleuritis æquè gravis ac lethalis. Id vero cognoscitur attendendo ad signa pathognomica.

Si ergo dolor, spirandi difficultas, febris & tussis vehementiora sint, magnum morbum & periculosum judicandum.

Attendendum etiam an æger multum à naturali statu recesserit; id enim etiam de magno & periculo morbo indicium præbet.

Etiam de morbi statu indicabit Materia hunc morbum inducens; sic acutior est hic morbus si à bile, quam si (ut loquuntur) à sanguine, vel pituita, vel flatibus; id vero etiam cognoscitur ex colore sputi; si enim sputum flavum, & subpallidum, flavam billem arguit, si vero rubrum, & cruentum & floridum colore, sanguinem melius temperatum, causam ostendit; si autem sputum album, leviter spumosum, ejicitur ex phlegmate; si vero nigrum, melancholiā in sanguine prævalere testatur; hocque cum biliosa judicatur, periculosa valde, magis longè, quam sanguinea & pituitosa.

Ast

Ast ~~aterrim~~ in qua nihil excernitur, vel diurna valde est, vel hominem necat.

Sed non tantum color sputi, sed & quantitas, consistentia, & modus excernendi, nobis hic indicium præbent de eventu, minus hic morbus lethalis est, si sputum perfectè coctum, liberum, & copiosum excernatur.

Sputum verò omnino sanguineum, lentum, ut & flavum, viride aut æruginosum, malum; sicuti & sputum omnino album, glutinosum & spumosum ac rotundum.

XXXII. Sinister & morbi eventus interdum prædictitur ex supervenientibus, vel concomitantibus symptomatibus aliis, præter pathognomica.

Vomitum biliosum initio morbi bonum esse, sunt qui testantur. Morbo laterali alvi *prostervum* superveniens malum est contra; si Pleuritis non sit vehemens, & contingit in corpore multa cacoymia laborante, *alvi fluxus* interdum salutaris esse solet; præsertim si quoddam concoctionis signum præcesserit; *concoctionis* verò signa hic videntur, sputum maturum, & signa bona in urina.

Bonum etiam signum si decubitus in utroque latere facilius perferatur.

Varia & prognosis ratione sexus, aetatis, aliarumque circumstan-
tiarum; sic in senibus, mulieribus utero gerentibus, asthmaticis, &
iis, qui bis aut ter laborarunt, periculosa solet esse Pleuritis.

Etiam hoc notandum, densa, & exercitationi dedita corpora, ciuius Pleuride, aut peripneumonia perire.

Respectu virium differt prognosis. Omnis enim salus hic exspe-
ctanda à sputi excretione, atqui ad hoc vires desiderantur.

Ad hunc affectum & de ægri conditione inquirendum, quia non-
nulla necessaria ad hunc morbum curandam requiruntur; id circu-
ægro & adstantibus diligenter imperandum, quæ observanda, cir-
ca ignem, cibum, potum &c. nec anni tempus minorem apud me-
dicum locum obtinet, quia uno plus quam alio tempore grasiatur
& urget v. g. si media hyeme. Ad quod rectè senex noster *Hipp.*
secl. IIII. Aph. XXIII. *Hyeme* verò morbi laterales &c. & iterum *secl. III.*
Aph. IX. sc. autumno morbi acutissimi & exitiales maxima ex parte &c. ut-
que ad ventos reflectat medicus, necesse est, teste *Hipp. secl. IIII.*
Aph. V. atsi aquilonia fuerit tuffes, costarum doores & pectoris &c.

Etiam quibusdam regionibus hic morbus familiaris, sc. huic re-
gioni

gioni magis, propter aëris humiditatem, majorisque frigoris excellentiam, eò quod hæc regio magis aquis gaudet.

Hinc pertinent juventia & nocentia, quod sèpius expertus fui, si videlicet post vel inter V. S. & doloris levamen sentiat laborans, bonum; quod & inde potest quandoque colligi, si tactu pulsus, qui antè durus, & plenus, mollier sentiatur; præsertim si sudor blandus sequitur.

Contra malum est, si anacatharsis copiosior, ac repetita. V. S. nec dolorem, nec alia symptomata sedant, quod quotidie in præxi videre est.

XXXIII. Enarrato sc. morbi eventu, an ad salutem, an ad mortem; ordo & alterum postulat, quod sc. tempore morbi finis sit: futurus.

Juxta divini nostri Senis sect. v. Aphor. ix. quicunque morbo lateralı laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ad suppurationem veniunt, hoc est sunt empyematici.

Et ex Empyematicis tandem phthisici, secundum Hypp. sect. vi. Aph. xv. quicunque ex morbo lateralı suppurrantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die à qua fit ruptio, liberantur, sin minus ad tabem transiunt.

XXXIV. Egimus de eventu, tam bono, quam malo, ut & de tempore, quærendum & quomodo *eventus* sit futurus; sèpius namque contingit ut accedente alio morbo, vel symptomate, moribus vel solvatur vel æger succumbat. Plurimi pereunt per suppressum sputum, sive suffocantur, id citius accedente *alvi* fluxu. evadunt plures per expectorationem, accedente & sudore blando; sic enim solvitur morbus.

XXV. Quare vero hæc omnia sese ita habent, jam exponendum esset, verum cum jam hæc disputatio prolixior & ex iis quæ in explicatione diagnosis diximus, satis patere puto, supersedere constitui.

XXXVI. Sola jam superest curatio, pars tractationis maximè necessaria, instituitur autem ea, attendendo ad morbum, ejusque causam conjunctam; causas antecedentes, & causas procatarcticas; atque etiam ad symptomata urgentia.

XXXVII. Dicta enim symptomata quandoque ita urgent, ut laborantes in summo suffocationis periculo, nisi iis succurratur, versetur; inter quæ *respiratio* *difficilis*, & *dolor*, præcipue eminent.

Primum

Primum ergo instituendum remedium, liberam magis quod reddat respirationem, inter quæ præcipuum obtinet locum. V. S. Cùm multiplici & continuata experientia constet, plures momento temporis, omnibus frustrâ tentatis, respirationem liberaliorem sic recuperasse, quod ipse in praxi sæpiissimè notavi, testesque habeo ipsos ægrotos; hâc viâ jam restitutos, ad quos dubitantes, adducere non detractabo; idque mecum omnes testantur praxin, qui attentè exercent, adde quod testantur alii, laqueo penè suffocatos, hâc viâ à mortis limine revocatos, vid Thrasion. & alios, ubi & agitur de modo, quô V.S. id præstat.

Quod de respiratione dictum, de dolore & tussi etiam intelligas, cuius innumera mihi exempla videre contigit, pauci clapsi sunt menses, quod advocatus ad ægrum periculosisssimè hòc morbo decumbentem, maximè de dolore & difficillima respiratione, ad quantum usque diem laborantem; cui, cum alii tincturas, & volatilia, & nescio quas guttulas, sine successu exhibuissent; V.S. institutâ mox omnia symptomata mitiora evasere, ita ut porrò medicinâ rite factâ, brevi temporis spatiô, ad pristinam sanitatem redierit.

XXXVIII. Nec sanè satis mirari possum, quod nonnulli semper ita clament de sudore, & jactant se plures curasse sudoris expulsione, sine V. S. frustrâ enim sudorem elicere conantur, ubi tanta respirationis difficultas, & dolor, ut ne per momentum in uno loco decumbere, possint, per consequens ergo primo dolor secundus, cæteraque sudoris impedimenta auferenda, licet iis concedatur, sudorifera convenire; hec autem optimè fieri V.S. antè ostensum.

XXXIX. Verum fateor, aliâ quoque viâ sedari potest dolor, præsertim si in principio & corpus non valde plethoricum; nimirum fortib[us] actu calidis inflammationis resolutio tentari potest. sc. ex herb. Hyssopp. calamenth. verbasc. menth. flor. chamæmill. melilot. fêm. anis. cumin. cum foeni græc. &c. ex quibus decoct. ex f. q. aq. puræ vel potius lactis parari, vel pannis, vel in vesica suilla adhiberi possunt, ad quod alludit Galen. l. 11. de vîct. acut. comment. 1. sc. fomenta calida, cuicam ipsam ad perspirationem rariorem efficere, phlegmonisque sanguinem, tum attenuare tum per halitum digerere conservant, quod & affirmat Dodon. Fuchc. & alii, quod & ipse in praxi sæpius cum successu vidi.

Convenit hic cum Galeni dicto Hypo. qui libro 11. de victa acuto scriptum reliquit ; lateris dolorem sive is per exordia , sive postea subortus , tentare calidis fomentis dissolvere ; non abs re dicit tentare , quasi diceret si calida non dissolverint , diutius non esse illis insistendum.

Possent & sacculi ex dictis parari , & siccii calidiisque applicari . Nec minorem hic locum inter topica sequens Meretur sc. panis recens , è furno extractus , & per medium sectus , butyrò recenti liquatò madefactus , laterique dolenti appositus ; materiam enim ei impactam potenter resolvit , mitigatque dolorem , expertus loquor .

Monitum tamen velim id non in omnibus , saltem non in plethoricis , ante evacuationes tentandum .

XL. Alii quoque sunt , qui per narcotica dolorem sedare conantur ; & audent exhibere integrā dosi sc. philou. roman , opium Laud. opiat. &c. verùm sèpius vidi , ex horum usu ipsos pessima symptomata excitasse , sensum obtusissè , sputum incrassasse , consequenter respirationem expectorationemque difficillimam , & grosque quasi corybantismo laborantes reddidisse . Ne quis vero perversè hæc intelligat , eorum usum , omnino non rejicimus , sed summam requiri prudentiam , monemus , ut sc. non exhibeantur integrā dosi , & ante evacuationes , de quibus aliisque observandis cautionibus practici fuisus , quod sc. in initio convenient ad incrassanda sputa , nimis tenuia , ut in seq. videbimus .

XLI. Restat morbus ejusque canse continens ; Certum est quod manente in statu inflammatione , morbus auferri nequeat , omni ergo opere conandum , ut hæc tollitur , quò efficiatur , ut materia , in pleuræ vasculis hærens , cursum repetat solennem , nec vasa amplius distendat & vellicet .

Verum cum id difficillimum sit manente causa interna antecedente , nimirum plethorà (sive illa pura sit , ut loquuntur , sive *cachymica*) mox enim iterum deponi & stagnare potest alia portio materiae ; patet ergò causam illam primò auferendam ; nullum unquam remedium hanc melius removet ; quam V. S. eæque sanguinis evacuationes , hic dupplici ergò nomine conveniunt ;

1. Quod symptomata sedent , quod centies cum admiratione vidi , ut ante notatum .

2. Quod causam antecedentem , morbum foventem & augentem (quà manente curatio non exspectanda) removeant ; mitti autem

INAUGURALIS.

15

autem debet sanguis, nisi quid prohibeat, priori ratione, donec dolor & febris mitiores; imo, nisi quid obstet interdum bis, aut ter & ulterius, spatio viginti horarum, si peracuta pleuritis.

XLII. De loco contraversia est; nos, ut breviori viâ pergamus, in eodem brachio lateris affecti judicamus; cum Galen. & Hyp. vid. Fuchs. l. II. C. VIII. qui statuit quod sanguinis missio, è directo laborantis lateris adhibita, in pleuriticis clarissimam sæpè utilitatem adfert, quæ verò ex brachio opposito aut omnino nullam, aut obscuram, aut post temporis majus intervallum plures rationes V. alibi.

XLIII. Redimus jam ad causæ conjunctæ, seu materiæ hærentis in pleura, inflammationemque efficientis, curationem; hoc post evacuationem sanguinis in plethora, in aliis & pleuride non ita acuta etiam ante eam præstant, externè adhibet fatus de quibus actum thes. 39. ubi eadem, ratione doloris præscripti.

XLIV. Nec tamen medicus negligat ad eundem scopum, interna, sc. inflammationis resolutionem, quæ efficiunt, exhibere; inter quæ primum locum assignant sudoriferis, & interea nonnullis, quæ specifica vi, ac peculiari virtute prodeesse dicuntur, sc. rasur. dent. apr. dent. castor. luc. pisis cum maxill. tal. lepor C. C. spaz. propt. ocul. Cancr. sangu. hirc. sylvest. Crem. diaphor. flor. papav. errat. pulv. &c. ex quibus composita facile parari possunt, cum convenienti liquore &c.

XLV. Dum hæc adhibentur, alia super est indicatio ratione *sympatatum*, nempe tussim, quæ continua manet, removere. Illa absolvitur causas auferendo, quæ est materia in pectore hærens, illa ergo educenda. Commodissima hic via per sputum; ergo exhibenda sputum quæ promovent, cum sanè plerumque obest materia tenuitas, illi & incrassanda, & educenda ad incrassationem, convenire possent initio narcotica, exigua dosi & prudenter exhibita.

Ad expectorationem spectant pectoralia dicta, ut sunt sc. rad. alth. liquir. taraxic. herb. tuſſilag. viol. flor. papav. errat. viol. &c. fruct. pasq. major. minor. jujubin. sic. hord. &c. ex quibus decocta, linctus &c. parari possunt.

Morbō verò progrediente, & posset expectorationi obesse, viscositas, & sputi crassities quo in casu rad. treas. asperr. petroselin. Herb. Hyſſ. Capill. vener. &c. incidentia dicta laudantur.

Hoc

Hoc in casu *opiata* eo nomine, quo antè profuere, iam obsunt, quod sc. magis incrassent sputa sive expectorationem inhibeant.

XLVI. Est & alia indicatio, fluxus sc. humorum impedire, revellere hoc vocant medici, seopus hic est impedire, ne succedens à tergo materia denuò membranam distendat. Verum de eo actum thes. 41. sc. hoc effici si antecedens causa interna tollatur, sc. plethora vel simul etiam cacoehymia, de qua patitis in sequentibus; huc & spectant, quæ illius sanguinis motum tam violentum impediunt, eum incrassando, qualia fyr. violar. papar. errat. juubin. alth. fernel. &c. alii potus, & Emulsiones. &c.

XLVII. Est & indicatio, respiciendum ad supervenientia *symptomata*, de quibus in prognosi dictum. V. G. *vomitus*, si diutius perseverat, & molestet, sedatur, tum causa prudenter auferenda, tum quæ specificè hic commendantur ab auctorib. Cap. de *vomitu* adhibenda.

Diarrhaa ut & sedatur & proprio capite docetur, admonendum tamen illam in corpore cacoehymico non imprudenter cohendam esse, ut dict. Thes. 32. De vigiliis agitur verò fusè apud practicos.

XLVIII. Mirari quis possit nos nihil de cacoehymia addidisse, sed hanc materiam pro dignitate absolvere nequeo, nisi limites excedere velim, sufficiat ergo meminisse cacoehymiam prudenter esse corrigendam & evacuandam, attendendo ne Diarrhaea ob oriatur: ut verò cacoehymia corrigitur & evacuatur, fusè practici docent.

XLIX. Jam *dista*, ad dictas indicationes, disponatur, aër sit temperatus, nihil pejus frigidior, arte ergo corrigatur excedens, tum in calore tum in frigore.

Cibus sit tenuis, initio ex jusculis cæterisque forbilibus, posteà plenior parum concedendus, ut sputum melius prodeat, & ut vires sufficient, quæ hic multæ requiruntur.

Vitanda *acria*, *salsa*, *acida*, hæc enim tussim excitant, aliaque inducunt incommoda.

Potus sit decoctum hord. liquirit. passifl. major. enucleator. & similium.

Vitet *Cerevisam*, imprimis recentem nimis, ob Diarrhaæ metum; *vinum* ob tussis, vigiliarumque, dilirii, & febris metum.

Motus

Motus & vigilia vitentur, quies & sumnus quantum possibile imperanda.

Excretorum habeatur ratio, alvus suppressa prudenter tamen ob Diarrhææ metum, linientibus admonenda animi pathemata maxime ira arceatur, sanguinem enim agitat.

Addendum monitum nos hic loqui *devera plœritide*.

Spira quod attinet curationem, facile eâ depromi potest sc. cum nec dolor, nec respiratio &c. hic adeò urgeant; sæpius fatus & sudorifera sufficiet posse, sine V.S. opinor.

L. Coronidis loco addam, me hîc studiô præterisse curiosam magis, tum de modo operandi remediorum, tum aliorum explicationem, quod sc. disputationem etiam nunc prolixiorum vide rem, malum ergo curiosa, quam quæ, in praxi medica, maxime necessaria sint omittere; memor dicti quod non qui multa curiosa; sed qui necessaria sciatis, sapiens sit habendus.

Fine coronatur nobile semper opus.



In honorem Professoris Mei
DNI. PETRI BERNAGII.

bernagle, en, toLLIs CæCas CaLlIgIne Mentes,
en, petre, eXCVLto tVVs & fLos VIVIt In horto.

 ERNAGIUM præclara videns urbs Amstela
PETRUM,
Lumine qui Medico Medicis caligine cæcas
Illustrat mentes, studiumque refutat inane,
Quo querulos multi tentant expellere morbos,

Obstupet, & tantum miratur mentis acumen,
Quid mirum? si verba viri si scriptaque spectas?
Quidquid enim Meſves, Avicenna, quodque Platerus,
Sylvius Hypocrates, Mithridates, quodque Machaon,
Quod Dodonæus habet, quidquid Sennertus acutus,
Quodque Galenus habet, tenet hæc & Bernaga virtus,
Cujus amænus odor tota sentitur in orbe
Cujus amænus odor (quamvis non gratus inquis)
Crescat, & ingentem semper spergatur in orbem.

T. A. G.

A. REYNEN.

Fecit.